



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorvm Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

Ipsi obligati sunt & ceciderunt: Nos autem surreximus & erecti sumus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37005

cinctus in bellum iustus & exaltabitur, id est, superabit & uictor erit, Currit autem in ipso, id est, in memoria & fide eius.

Bellum in-
ternum.

Emphatis autem insignis est, in uerbo, Memores erimus, nulli cognita, nisi experto, sine dubio enim propheta hic experientiam suam signat. Quis enim putet, quenq̄ sola memoria nominis domini uictorem fieri, nisi expertus fuerit? sed & q̄ arduum id ipsum sit, ut nominis domini nō obliuiscatur, quis credit? cum ibi urgeat mors, ignominia, conscientia & mille pericula, quibus ut multo uiolentioribus copijs intus oppugnatur cor, q̄ corpus foris, ut distractum in praesentia & circūstantia & irruentia, amittat nomen domini. Neq̄ factis est, semel ab initio cogitasse & inuocasse, sed perseveranti atq̄ constanti memoria meminisse oportet, usq̄ in finem uictoriosum aduersus omnia terribilia & periculosa occurrantia. Sicut enim impossibile est, ut nomen domini succumbat, cum sit aeternum & omnipotēs, ita impossibile, ut is cadat, qui in ipso haerit & perseverauerit. Verum impius, in cuius auribus nomen dñi, apparet uile, ut quod sit, non nisi flatus & literæ transeuntes, hæc tam grandia & insignia eius magnalia non capit, ideo relicto ipso, ponit carnem brachium suū, confidit in homine, recedit cor eius a domino, confugiens ad baculum arundineū Aegypti, sicut de Saule dicitur, q̄ mortuus sit in peccatis suis, quia in dominum deum Israel nō sperauerit. Cetera mirabilia nominis domini, affectibus & experimentis relinquenda sunt, quādo uerbis & auribus ea nemo potest consequi.

Fidentes sibi
ipsis.

Ipsi obligati sunt & ceciderunt:

Nos autem surreximus & erecti sumus.

Encomiū ante
uictoria ca-
nunt soli si-
deles.

Hoc non dicitur historice uel non solum historice, sed magis propheticè, immo fideliter. Soli enim fidei, de deo praesumentis, licet canere Encomiū ante uictoria & rumorē ponere ante salutē, ut cui prorsus omnia licent, dum em credit, iam habet, quod credit, quia fides nō fallit, sicut credit, sic fiet ei. Sic Moses, Exo. xiii. trepidantem populum, ab insequentibus Aegyptijs roborat certissima uictoria, dicens: Nolite timere, stete & uidete magnalia domini, quæ facturus est hodie, Aegyptios enim, quos nunc uidetis, nequaquam ultra uidebitis usq̄ in aeternum: Dominus pro uobis pugnabit, & uos tacebitis. Et ita factum est, Pharaone in curibus & equis praesumente, per aquā consumpro.

Pro, obligati sunt, melius Hiero. & hebraeus, Incuruati sūt, seu incuruauerūt, absoluto uerbo, ut sonet defectū praesumentis de se uirtutis, quæ, subtracta manu dei, in seipsa deficit & incuruatur, aduersario etiā nō incuruante. In quo & antithesis pulchrius apparet. Incuruari enim & surgere opposita sunt, sicut & cadere & stare, quod erecti sumus hic dicitur. Porro, per incuruari & cadere, ita defectum, sicut per surgere & stare, profectum significat. Incuruari em est infirmari & cadere penitus uinci, surgere est praualescere, & stare est uincere, quibus uerbis, rem uelut ob oculos ponit, & uelut coram gestam describit, ad prouocandam fidem in deum, sic enim res habet, ut primum incuruentur & tandem cadant, primum surgant & tum subsistant.

Sed quid hoc? qui fatetur aduersarios curuari & cadere, certe simul fatetur eos prius surrexisse & stetisse. Nunquid & pios, dum surrecturos & staturōs facit, simul indicat prius curuatos & lapsos? Absit, uerba enim sunt fidei, defurtis tanq̄ praeteritis, securissime praesumentis, & rem ut geritur in oculis ho-

minum

& uictor erit, Cuius

us, nulli cognita, nulli
m signat. Quis enim
ieri, nulli expertus futu
bliuicatur, quis cre
pericula, quibus ut
rpus fori, ut diltra
nen domini. Neq; sa
nti atq; conitū me
rfus omnia uentib;
nomen domini luc
scadat, qui in ipso
nomen dñi, appu
am grandia & in
em brachium suū,
ad baculum arum
tis suis, qui in do
s domini, affectu
bus ea nemo pov

agis prophetice,
Encomiū ante
licent, dum em
e fiet ei. Sic Mo
tius roborat cer
domini, quæ fa
ultra uidebitis
. Et ita factum
mpo.

ocurraverūt,
subtrahat ma
e. In quo &
unt, sicut &
ri & cadere,
curari em est
est uincere,
describit, ad
uruentur &

imul facent
& staturos
fidei, defu
oculis ho
minum.

minum pronunciantis. In congressu enim hostium, dum impij, fidunt in curribus & equis, uidentur certe surgere & stare, Contra pij in nomine domini fidentes, uidentur uelut longe impares curuari & cadere. At fides, huic phantasmati sensuali reluctata sic iactat, Etiam si illi surgent & stent in curribus, equis, nos uero curuemur & cadamus, sicut apparet, certi tamen sumus, muta paulo post rerum facie, eos qui surgunt & stant, curuandos & casuros, nos autem, qui uidemur curuari & cadere, uere surrecturos & staturos, immo iam surreximus & erecti sumus. O pulchrum fidei exemplum.

Fides contra
sensum.

Domine saluum fac regem.

Et exaudi nos in die, qua inuocauerimus te.

In nostra translatione, hic uersus potest, uelut epilogus, uel confirmatio haberi, sed hebræus sic distinguit: Domine salua, rex exaudiat nos, die qua uocauimus. In quo nescio quid mysterij lateat, non enim exaudi nos, sed exaudiat nos in tertia persona dicitur, sicut in principio psalmi, Exaudiat te, eadē persona, eodemq; uerbo dixit. Rex etiam in nominatio ponitur nō in accusatio, na, eodemq; uerbo dixit. Rex etiam in nominatio ponitur nō in accusatio, Pronomen, te, in fine uersus non habetur, Ego si quid secreti habet, spiritualibus relinquo, simplicissimo sensu contentus, quo, deum ipsum, hic regem uocari arbitror, in tertia persona, more hebraico, sicut & in principio psalmi, Exaudiat te dominus. Et Moses Numeri. xiiij. Magnificet fortitudo domini, sicut iurasti, pro, fortitudo tua. Et psal. iij. Domini est salus, & super populū tuū benedictio tua, Et Numeri. xxvij. Prouideat dominus hominem, qui sit super hanc multitudinem, id est, prouide tu domine. Et Gen. xxx. Ioseph ad Pharaonem, prouideat rex uirum sapientem. Ita & hic, exaudiat nos ille rex, Prouide enim articulus notæ insignis, hoc est, tu exaudi nos, qui uere es, i. le rex noster, Nam Dauid qui ministrat tibi, non est rex, nec suum regnum regnat, sed tuū: Tuum enim sumus nos regnum & tu rex noster es. quo affectu, uehementer mouet, hoc est, mouere nos docet deum, qui tunc mouetur, quādo nos mouemur. Quomodo enim non exaudiat quando regnum suum, res sua, gloria sua periclitatur: Hoc est, tunc nos ardentissime oramus, quando nos regnū & partem rerum dei esse cōfidimus, tunc enim nō nostra querimus, & certi sumus, non derelicturum eum, rem quæ sua & regnū quod suum est, præsertim in uocantibus nobis, de quo affectu psal. vii. latius dictum est. Petit ergo hic uersus, generalem & perseverantem salutē a deo hoc modo, Sicut iam saluasti & exaudisti nos, ita fac, ut semper & quacunq; die inuocauerimus, salues & exaudias. Sic enim qui semel expertus est auxilium domini, optat illud perpetuum esse, metuens ne quando se deserat.

Expofuimus hunc psalmum, pro exemplo fidei, de rege quocūq; necdum certum habeo, an legitimum sentum attigerim, quis enim, uexilla, equos, & currus sonet, quæ cogere uidentur, ut ad externam pugnam trahas psalmum, non tamen ausim negare de Christo intelligendum, & de uexillis in spiritu eū loqui. Mouet me q̄ maxime cū multis alijs, psal. cix. in quo Christus rex sedere iubetur & in medio inimicorum dominari, & sceptrum eius emitti ex Zion, item reges terræ cōquassari, & reliqua, quæ & si carnaliter sonent, tamē penitus in spiritu dicuntur & intelliguntur. Similia psal. lxxj. liceat adducere, Et psal. ij. Virga ferrea, in spiritu dicitur, ita & hic, uexilla facile fuerit in spiritu accipere, Nihil enim obstat mihi, quo minus de Christo exponā, nisi quod allegoriam

Alia expo
tio psalmi de
Christo.